



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis  
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate  
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

**Bucelin, Gabriel**

**[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.**

Iesu Christi Annus. M.D.LXXXIV. Sancti Patris Benedicti. M.C.IV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38498**

tres haud minimum gloriae retulit. Reliquit nonnulla egregij ingenij monumenta, eaque inter:

*Commentaria in omnes Epistolas Sancti Pauli.*

*Commentaria in Symbolum Apostolorum. Dictionarium Biblicum, & plura alia.*

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.LXXXIII.

Sancti Patris Benedicti. M. C. III.

V. Placidus  
Fractensis.

Vivere sub hoc tempus in terris desijt sanctae memoriae Frater Conversus Placidus Fractensis ex Urbinate Principatu ortus, Montis Coronae Monachus, Regularis vitae observantia acuratiore praecipuus. Is naturali quadam gravitate praeditus, statura procerus, corpore robustus, viribus corporis bene usus, eas in opere manuum quotidiano, & ad Caenobij utilitatem quam ferventissime adhibuit. Litterarum rudis licet, ingenio tamen sagax, ac iudicio praestans fuit. Silentij observantissimus, obedientiae studium in praecipuis semper habuit. Oeconomiae labores subire coactus, summaque alacritate aggressus, de Spiritus cura nihil prorsus remisit, sive iter faciens, sive manibus laborans, domi vel foris agens, Regularia jejunia, Congregationisque noviter susceptas panis & aquae abstinentias, nunquam praetermisit. Denique in controversijs componendis speciale donum a Deo habuisse, omnes qui cum noverant, certum habuere: ideoque quoties inter paganos illos Fractenses aliqua jurgia nascerentur: *adeamus, aiebant, Fratrem* [ sic enim per Antonomasiam vocabant ] *& quidquid ipse dixerit, sequamur.* Vixit annos 78. in Religione ss. a viris perfectissimis sanctissimae illius Reformationis maximi habitus, etiam miraculis claruisse non legatur, inter praecipua tamen Ordinis decora numeratus. De hoc Lucas Ruhensis: Quantum iste Religioni profuerit, si plene ostendere velim; novo ac longo tractatu opus esset. *Ex Hist. Mont. Coronae, Luca Ruhensi &c.*

Controversiarum sollicitudinis.

V. Athanasius de Villa Gomez.

In Hispanijs magnis efflorescit Virtutibus & signis sanctitatis R. P. F. Athanasius de Villa Gomez Monachus Nicalensis, qui postquam in assidua contemplatione, spiritus puritate, & carnis maceratione ac mortificatione vitam sanctissime traduxisset, exul-

tans & laudans, incertum quo anno, animam in manus Creatoris exspiravit: ex cujus postea ossibus, odor suavissimus, omnium aromatum fragrantiam superans, & verè coelestis erumpens, multis post obitum annis, referato fortè fortuna ejus sepulchro rotam Basilicam implevit, & insigni admiratione, uti & consolatione, universos qui aderant affectu & recreavit. *Ex Menol. nostro & Henrici.*

Montis Coronae possessione felices Camaldulenses nostri Reformati, vulgo Grottani, quem ante quinquennium donatione Illustrissimorum de Carassa Comitum obtinuerunt, exinde Monachorum & Montis Coronae nomen, ipso primum summo Pontifice Gregorio XIII. illud imponente, usurparunt. Floruitque deinceps novo fervore Ordo, & locus ipse ob sanctitatis famam, toto mox orbe depradicatus, innumera paulo post peregrinorum multitudine frequentatus, imo ab ipsa Deipara, singulari sua praesentia, honorari visus, quem magnis Gratiarum & Beneficiorum signis, gratissimum se habere comprobavit. Quantum autem inde in Ecclesiam ab exemplo Monachorum tam sancto atque mirabili fructus redundarit, redundetque usque hodie, ijs explicandum relinquimus, qui ad Montem aliquando illum inviserunt, & peregrinati sunt, cum ad solam ejusdem aere vulgatam imaginem, sacro quodam horore, & Religione intuentium animi illico occupentur, & ad Deum & Dei parentis amorem ac laudes excitentur. Sed de viris sanctissimis & Illustrissimis Eiusdem sacrae Congregationis hoc ipso saeculo viventibus, consulendi *August. Florent. & Lucas Ruhensis.*

Grottanorum Reformati.

Magnus ab ea Praesentia.

Valedixit mortalibus hoc etiam anno Hermannus cognomento Rave S. Jacobi Leodiensis Abbas, a magnis Virtutibus celebratus, quem monumenta Caenobij his ipsis Verbis celebrant: Vir admodum Venerabilis, pauperum, peregrinorum & aegrotantium consolator misericordissimus. *Ex monim. ejusdem Caenobij.*

Meronianus R. P. Abb. Leod.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.LXXXIV.

Sancti Patris Benedicti. M. C. IV.

Balthazar à Dernbach Abbatis & Principis Fuldenis, quantumcunque

Balthazar Abb. Fuldenis pergit merui.



que & ab Hæreticis impeteretur, & disciplina Monachicæ floribus, ingentia tamen ab ingenti animo merita, dum inter angustas etiam res bono publico mira consuleret industria, & generosissimum animum omni comprobaret posteritati, ex quo facile conijcias, quantum rebus integris præstiterisset, qui pro ipsa integritate sua, & sanctis molitionibus omni calumniarum & injuriarum genere impetebatur, ipso sibi ut optimè conscio, sic semper constante, ut haud minore quam Athanasium animo fuisse, facta ipsa comprobent, & immortalia ipsum merita usque hodie commendent. Allaboravit autem hoc anno plurimum & laudante ac promovente Gregorio XIII. Romano Pontifice effecit, ut in Fuldensi Gymnasio Nobilium adolescentum Seminarium institueretur, qui ex Septentrionibus orti, in spem collapsæ majorum Fidei resuscitandæ, gratis hic alerentur, & in liberalibus disciplinis castè pièque educarentur. Salutare, inquit Browerus, & Germanis utilissimum inventum. Hinc namque fecunda ingenijs & a vita pietate plurima iuventus educata, Saxoniam, Thuringiam, Westphalam, vicinæque loca, quin & Sueviam, aliasque Germaniæ provincias Fidei Catholice, ac elegantioris litteraturæ fama fructuque complevit. *Annal. Fuld.*

Evocatur hoc ipso anno ad æternitatis præmia Beatus Rudolphus sive Rodolphus Montis Virginis Monachus, Discretionis gratia præcipuus, ornamentum sacræ familiæ nostræ Montis Virginis singulare. Hic Veronenfis patria liberalibus disciplinis non mediocriter eruditus, Olivetanæ primùm Sanctissimæ Congregationi nostræ nomen dedit. Exin majoris perfectionis studio, ad eam quæ Montis Virginis dicitur, transijt, eaque vitæ perfectione enituit, ut Ipsi non multo post sacræ Congregationi Generalis Præsidis titulo præfici meruerit. Solitudinem porro sic adamavit, ut per annos viginti [ quo tempore semper fere, aut major, aut Prior extitit ] ab eremi ostio egressus non sit. In senectute autem etiam altera vice, Veterum nostrorum more, *Reclusionem* obtinuit, cujus conversatio per omnem vitam non solum sine crimine, sed etiam

am sine criminatione, seu reprehensione cujusquæ mortaliū transijt. Fuit placido admodū vultu, ea insuper morum gratia & gravitate, ut ab omnibus unice diligeretur, juxta etiā tantopere timeretur, ut solius oculi intuitus gravior delinquentibus, quàm gravissima cujusque alterius Prælati correctio videretur. Ejus in omnibus discretio mirifice extollitur, & in cunctis Religiosis actionibus gratiositas quædam admiranda celebratur. Perpetua ipsi Psalmorum cū meditatione prolatio, ita ut quoties extra cellam inveniri contingeret, aliquè per futurum alloqui cogitares. *Fuit deniq;* inquit Vita Author, *Scriniū quoddam Virtutum, Regularis Vitæ exemplar, & Solitaria vitæ Norma*, obijtque plenus dierum ac meritum, quietè, sine afflictione, & cum manifesto lætitiæ signo, anno ætatis 79. undecimo Cal. Maij. *Ex Monim. Mont. Virg. Luca Rubensi, &c.*

Hoc autem perditissimo hoc sæculo vel maximè mirandum: quibusque quæ sua sunt quærentibus, & Cathedralium Ecclesiarum Cunicis, in Episcoporum electionibus, se solum ipsos circumspicientibus & contuentibus, atque utinam non Simoniacè, seu prece, seu precio sacros honores affectantibus & ambientibus singulari tamen Numinis providentia, Episcopos Monachos Ordini nostro nunquam defuisse, & mirabili quodam modo, semper aliquos è nostris, cellulæ sacræ solitudine utiliter excoctos, ad diversos Episcopatus & honores, in vitos plerumque & reluctantes extractos, ipsdem summa dignitate Ordinis, & subjeutorum utilitate maxima præstitisse. Alios inter hoc ipso anno evocatus ad Cathedram Stragensem in Dalmatia Basilius Gradi Monachus Melitenfis, Congregationis Calinensis, vir doctus & eruditus, eoque honore dignissimus à Gregorio XIII. summi nominis Pontifice judicatus, scriptis etiam egregijs de omni posteritate meritis.

Pari honore ab eodem Pontifice, hoc ipso etiam anno insignitus est Marcus Fedoceca Mirandulanus, Monachus S. BENEDICTI de Mantua, & Abbas S. Vitalis Ravennæ, Congregationis etiam Calinensis, creatus Episcopus Laquedonenfis in Apulia, vir doctissimus, & in Mathematicis imprimis instructissimus, Gregorio Pontifici apprime dilectus,

Scriniū  
Virtutum.

Basilius  
Episcopus  
Stragensis.

Marcus Fedoceca  
Abb.  
S. Vitalis  
Ravennæ.

Seminari-  
um Nobi-  
lium insti-  
tuit.

B. Rudol-  
phus Mon-  
tis  
Virginis.

Reclusio-  
nem susti-  
nuit.



lectus, & commendatus, quorum aliorumque laudibus, compendij intuitu super sedendum duximus.

*IESU CHRISTI ANNU S. M. D. LXXXV.  
Sancti Patris Benedicti M. C. V.*

*BB. Patricius & Malachias Mart.*

**I**terum ex militanti in triumphan-  
tem adscripti Triumphos aeternos  
Martyrum augent, duo insignes Or-  
dinis nostri sacrae Cisterciensis Con-  
gregationis in Hibernia Martyres BB.  
Patricius & Malachias Bullienfis Cæ-  
nobij Monachi, qui ab Hæreticis ten-  
ti, & pro fide Catholica ad mortem  
condemnati, suspensi, & semivivi, al-  
ter quidem in quatuor dissectus est par-  
tes, alter ab inferiore corporis parte  
lancea ad cor usque perfossus glorio-  
sum Martyrij cursum compleverunt  
decimo tertio Calendas Junij. *Ex Me-  
nologio Chrysof. Henric. & Fasciculo &c.*

*Valentinus & Godefridus Episcopi Laudunenses.*

Rursus meritissimo ex Ordine no-  
stro Valentino du Gias Laudunensi in  
Gallijs Episcopo S. Dionysij Parisien-  
sis Monacho succedit eadem in Cathe-  
dra Godefridus de Billy Prunæus, &  
ipse S. Dionysij Religiosus, Abbas S.  
Vincentij, vir præstantissimus, qui hoc  
ipso anno interfuit Concilio Remen-  
si, fuitque frater germanus Jacobi Bil-  
lij Abbatis S. Michaelis de eremo, in-  
terpretis operum S. Gregorij Nazian-  
zeni, de quo supra diximus. *Clava,  
Rob. Joan. Chenu. & monim. Laudunen-  
sia.*

*V. Joannes Feckenamus moritur.*

Meritissimus ille de Ecclesia Uni-  
versa, incredibilis constantiæ & mag-  
nanimitatis exemplo, generosissimus  
Christi Athleta & Heros imperterritus  
sanctæ memoriæ Joannes Fecken-  
amus noster, Abbas Westmonasteri-  
ensis, contemptis potentissimæ Reginae  
Elisabeth familiari amicitia, amplif-  
simis opibus & honoribus, potentissi-  
mo Principatu & Archiepiscopatu, in-  
solentissima, sane generositate admi-  
randus hoc demum anno, post longi-  
ssimi squallores carceris, ad Regiam  
Regum Regis & triumphos aeternos  
evocatur, alter sui sæculi, absque ta-  
men fuga ulla, Athanasius, longo jux-  
tà martyrio infinitis diversorum car-  
cerum incommodis consumptus. De  
eo sic Pytius: Joannes Feckenamus, in-  
quit, Ordinis Sancti BENEDICTI Mo-  
nachus Anglus & tandem Abbas West-  
monasteriensis creatus, eo tempore,

quo in Anglia regnarunt Philippus  
& Maria Reges Catholici, Vir cui Deus  
largas Benedictiones, natura egregias  
contulerat dotes. Erat in eo pietas in  
DEUM insignis, in proximos mira cha-  
ritas, in majores singularis observan-  
tia, in æquales atque etiam inferiores  
mitis quædam affabilitas, in omnes dul-  
cis humanitas, multiplex doctrina, re-  
dundans in concionibus facundia, in-  
credibilis Religionis Catholicæ Zelus.  
Cum jam non obscuris indicij cerne-  
ret, omnia vergere ad ruinam, & Fi-  
dem a vitam omnino periclitari, hosti-  
bus Ecclesiæ strenuè se opposuit, seha-  
bitis frequentibus concionibus, non  
nunquam etiã publicis disputationi-  
bus, libris denique etiam scriptis Ec-  
clesiam DEI & Catholicam. Fidem  
quantum potuit, propugnavit. Cum  
denique regnante Elisabetha in Comi-  
tjjs [Parlamentum vulgo vocant] age-  
retur de Fide Catholica extirpanda, &  
Hæresi plantanda: intrepidus publicè  
prodijt, & apud solemnem illum Prin-  
cipum, Procerum, & populi cœtum  
Anglica lingua, eloquentissimam &  
valde neruosam habuit orationem, de  
Veteri Patrum Religione retinenda  
de nova non excogitanda, nec intro-  
ducenda. Cum autem res planè col-  
lapsa esset, & prævaluisset iniquitas,  
ille confestim carceribus mancipatus  
est, primum Londini in carcere Equi-  
tis Martij, deinde in castro Wisbicen-  
si (Turris custodiam carceralem hic  
omisit Pitius, sed non tacuit Staple-  
tonus) in universum, continuis, plus  
minus, viginti sex annis. Quo tempo-  
re à Catholicis dogmatibus propug-  
nandis, & ab alijs charitatis operibus  
exercendis, quoad fieri potuit, nun-  
quam cessavit. Inter cætera quæ præ-  
stitit charitatis officia, Joanni Storæo  
Legum Doctori, propter Fidem Ca-  
tholicam capitis condemnato, per to-  
tam noctem adfuit, & ad mortem in-  
crastinam pro Christo fortiter perfe-  
rendam animavit. Sed ad ea quæ sunt  
eruditionis veniamus. Multas quidem  
easq; eruditas exaravit lucubrations,  
quæ pleræque propter temporum ini-  
quitate & Authoris incarcerationem  
etiam usque ad mortem, cum ipso in-  
terciderunt. Servarunt tamen boni  
viri quædam ejus opuscula, vel ope-  
rum reliquias: in primis sermonem  
quem

*Magnus Viri Antiqui.*

*Insignia ejus ingenij monumenta.*